



CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SINUS TONITRALIS
ET S. MARIAE ORMENSIS
de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curæ consuli possint et Episcopi munus suum efficaciter explere valeant, Exc.mi PP. DD. Fridericus J. Colli, Episcopus Sinus Tonitralis, et Marcellus Damphousse, Episcopus S. Mariae Ormensis, ab Apostolica Sede enixe expostulaverunt ut circumscriptionum ecclesiasticarum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, præhabito favorabili voto Exc.mi P.D. Aloisii Bonazzi, Archiepiscopi titulo Atellano et in Canada Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice FRANCISCO, Divina Providentia PP., tributarum, oblati precibus annuendum censuit. Quapropter, præsentì Decreto, perinde valituro ac si Apostolicæ sub plumbo Litteræ datæ forent, a dioecesi S. Mariae Ormensi integrum territorium comministratum vulgo nuncupatarum "Pic Mober" et "Manitouwage", distrahatur idque dioecesi Sinus Tonitralis adiungatur.

Mandat insuper ut documenta et acta præfatum territorium bona temporalia respicientia, a Curia S. Mariae Ormensi ad curiam Sinus Tonitralis tradantur.

Ad hæc perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum P.D. Aloisium Bonazzi, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractæ executionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Ædibus Congregationis pro Episcopis, die 18 mensis Maii anno 2017.

L. +S.



Marcus Card. Ouellet
Praefectus
Ison de Jesus Montanari
a Secretis

*Cum originali concordat
ex aedibus Congregationis pro Episcopis,
die 18 mensis Maii anno 2017*

J. J. J. J.
Archivi custos